



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XX. Ne torneamenta fiant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

*tributo.* Siue quidam fossata, siue expeditiones, siue quælibet alia sibi arbitrentur agenda, de bonis ecclesiarum, clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis cuncta volunt fere \* compilari. Iurisdictionem etiam & auctoritatem episcoporum, & aliorum prælatorum ita euacuant, vt nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. Super quo dolendum est pro ecclesiis: dolendum etiam nihilo minus & pro ipsis, qui timorem Dei & ecclesiastici ordinis reuerentiam videntur penitus abieciſſe. Quocirca sub anathematis diſtinctione ſeuerius prohibemus, ne de cetero talia præſumant attentare, niſi episcopus & clerus tantam neceſſitatem, vel vtilitatem aſpexerint, \* vt abſque vlla coactione, ad releuandas communes \* neceſſitates, vbi laicorum non ſuppent facultates, ſubſidia per eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem conſules, aut alii de cetero id præſumpſerint, & comoniti deſiſtere forte noluerint, tam ipſi, quam eorum fautores excommunicationi ſe nouerint ſubiacere: nec communioni fidelium reddantur, niſi ſatiſfactionem fecerint competentem.

X X.

Concilium  
Lateranen-  
ſe ſub Inno-  
centio II.  
Canon. 14.

Felicis memoriae papæ Innocentii, & Eugenii prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes, deteſtabiles illas nundinas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire ſolent, & ad oſtentionem virium ſuarum & audaciæ temere congregiuntur, vnde mortes hominum & animarum pericula ſæpe proueniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus

fue-

ANNO CHRISTI 1179.  
 fuerit, quamuis ei poscenti venia non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.

XXI.

Treguas a quarta feria post occasum solis vsque ad secundam feriam in ortum solis, & ab aduentu Domini vsque ad octauas epiphaniæ, & a septuagesima vsque ad octauas paschæ, ab omnibus inuiolabiliter obseruari præcipimus. Si quis autem treguam frangere tentauerit, post tertiam commotionem, si non satisfecerit, episcopus suus sententiam excommunicationis dictet in eum, & scriptam vicinis episcopis annuntiet, quorum nullus excommunicatum in communionem suscipiat: imo scriptam susceptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare præsumpserit, ordinis sui periculo subiaceat. Et quoniam funiculus Eccles. 4. triplex non facile rumpitur, præcipimus, vt episcopi solum Dei, & salutis populi habentes respectum, omni tepiditate seposita, ad pacem firmiter tenendam mutuam sibi consilium & auxilium præstent; neque hoc alicuius amore, vel odio prætermittant. Quod si quis in opere Dei tepidus fuerit inuentus, damnum dignitatis suæ incurrat.

XXII.

Innouamus vt presbyteri, monachi, clerici, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes & redeuntes, & in agri cultura existentes, & animalia quæ semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur. Nec quisquam alicui nouas pedagiorum exactiones sine auctoritate regum & principum consensu statuere, aut statutas de nouo tene-  
Concil. Tom. 27. Mmm

\* f. scilicet  
 \* cupiditate, alias tepiditate  
 \* hoc opere  
 \* quibus stant, & seminant  
 \* alicubi  
 \* auctoritate & consensu regum & principum statuere,